Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 779
Quelle:
Copyright:

ſata — uoluit occulte dimittere eam. Et quomodo iuſtus. qui conceptum ſponſę non diſcutit. ſuſpecti non exequitur cauſas. pudoris coniugii famam non uindicat. ſed relinquit. Uoluit occulte dimittere eam. Hoc pio magis conuenire quam iuſto uidetur. ſed humano iudicio non diuino. Penes deum neque pietas ſine iuſticia eſt. neque ſine pietate iuſticia. Celeſti ſenſu ſine bonitate ęquitas. ſine ęquitate bonitas non habetur. Uirtutes ſemper complexę ſibi ſunt. uirtutes ſi ſeparatę fuerint dilabuntur. Equitas ſine bonitate ſeuitia eſt. et iuſticia ſine pietate crudelitas &c. Poſt *Leonis* M. tempora, id eſt, medium Sec. V. ſcriptum eſſe ſuadent iſta: *Ueniant et audiant qui greco turbine latinam nubilare niſi ſunt puritatem. Antropotokon. criſtotocon. Theotokon.* Exit: *Heretice deſine iudicare iudicem tuum. ſed adora in celis deum. quem deum magus adorauit in terris.*

XV. *fol.* 25. Absque titulo, ſed e praevio *Codici* elencho: *Eiusdem* (Auguſtini) *ad Virgines.* Initium: *Cum Mortalium mutabilis mens. uel bonis aliquando uel malis intentionibus delectetur* &c. *Auguſtinum* non ſapit haec Tractatio, ideo rejecta in *Append.* T. VI. *col.* 227. titulo: *De Sobrietate et Caſtitate.*

XVI. *fol.* 32. Absque titulo, ſed e praevio elencho: *Eiusdem de Carne ſuperba.* Initium: *Ad Te manum meam extendo. Quem ſentio in timore dei tenere uexillum* &c. Paullo poſt haec coincidunt cum c. 64. Tractatus *de ſalutaribus Documentis ad quendam Comitem* al. *Militem* olim *Auguſtino* tributi, ſed reſtituendi *Paulino Aquilej.* ut volunt *Mauriani*, qui eum in *Append.* T. VI. *col.* 193. collocavere. Verum poſt ea verba: *ſed caro peccat quę grauat animam*, Noſter alio evagari incipit hoc modo: *Oculi autem duces ſunt carnis. qui illi ducatum preſtant, ut caro peccat. Anima autem noſtra carcerem patitur. qui eam tenet incluſam* &c. Sed nimis frivolae ſunt, quae ſequuntur, ad Animam et Carnem ἀποστροφαι.

XVII. *fol.* 34. p. 2. Absque titulo, ſed ex elencho: *Ejusdem de quinta feria paſſionis.* Elegans Sermo, quem tamen inter *Auguſtinianos* et Aliorum alios incaſſum quaeſivi. Incipit ille: *In hodiernum Convivium qui ſollempni frequentia conueniſtis. et cum chriſti diſcipulis immolatione agni paſcha facere feſtinaſtis. ſincera queſo et plena caritatis pectora diuinis exhibete myſteriis. Nulla ſit in mente duplicitas. ne liuoris nubilo interior homo fuſcetur. Agnum comeſſurus agni innocentiam preferat. nec immaculate ouis lupina membra transfundat in uiſcera* &c. Hinc ad exemplum *Judae* delabitur, a *Juda* ad *Petri* negationem, et tandem concludit: *Unde et nos fratres unanimiter fugiamus iniquorum fallatioſa conloquia. ut cum ſanctis participemus gratiam ſempiternam ueram pacem et trinitatis perpetuam unitatem ut cum ſanctis omnibus in regnis celeſtibus triumphemus.*

XVIII.